

ius respectu fuerunt prolata. Bald. in leg. jubemus, in princ. & nu. 1. in 1. notab. C. ad Senat. Consult. Vellejan. Rota decisione 403. nu. 3. part. 1. recent. & referuntur ad primogenituras hypothecas, & obligationes superius expressas; ut indicat verbum, *Altre*, quod est restrictivum ad omnes dispositiones superius expressas. Rota decision: 419. ex n. 4. versic. dictio verò alius, part. 2. recent. Crescent. dict. decis. 1. dict. nu. 2. de privileg. cum dictione etiam universales + restringi debeant, ne sequatur absurdum. Bart. in l. Gallus, §. etiam si præsens, ff. de lib. & posthum. Rot. divers. dec. 232. num. 4. p. 1.

Prout pariter non relevat, quod exemptio Castri comprehendat etiam causam dotis, quæ potest referri ad translationem domini, cum titulus dotis ad + translationem domini sit habilis. Din. conf. 1. col. 2. versic. præterea constat; Nam etiam hæc exemptio refertur ad verba proximè præcedentia, *promesse oblihi, hipoteche, vincoli fatti, per conservazione della famiglia, causa di dote.*

Nec movet, quod stante subrogatione, non tollatur totaliter dominium Ducis Bracciani, sed de modico ejus præjudicio tractetur.

Quia cum agatur de Castro antiquo familiæ Ursinæ, in quo potest cadere affectio, + bona subrogata esse possunt ex situatione, vel alia causa, hoc Castro viliora ista, notabile præjudicium afferunt ex adductis per Molin. de primog. Hisp. lib. 4. cap. 4. nu. 13. Ultra quod bona subrogata non nisi longo processu, & causæ discussione Bracciani Dux obtinere possit.

Et demum maxime movit Dominos ratio illa, quam nemo sanæ mentis negare potest, si nimirum Sanctissimus D. N. interrogatus fuisset, an concordiam inter Serenissimum Parmæ Ducem, & D. Marchionem Pallavicinum, per dationem in solum Castri, quod non in Serenissimi Ducis, sed Ducis Bracciani dominio erat, effectuari vellet hoc in se, & invito, Sanctitatem suam pro justissima sua toti orbi nota mente minime id se velle responsum, cum unius debita cum alterius etiam inviti bonis extingui, abhorreat; tanto magis, quia per traditionem alterius Castri Castiglioni ad Tyberim nuncupati, pro quo, in hanc causam pariter alternativè alienando, in dicto Chirographo licentia fuerat obta, dicta concordia potuerat effectuari.

Ex quibus Domini causa pluries discussa, clausula brevis D. Duci Bracciani non obtare indubitanter responderunt utraque parte informante, &c.

DECISIO XIX.

R. P. D. GHISLERIO.

Mediolanen. Donationis.

Veneris 10. Junii 1645.

SUMMARIUM.

- 1 Pacto reversivo, quoad bona donata, est locus, ob contraventionem donatarii, & n. 2.
- 2 Pensionem recipiens cum protestatione, non remittit caducitatem.
- 3 Mora geminata purgationem excludit.
- 4 Canonem, pendente lite, decurrentes non solvens privat.

S Oror Clara Victoria de Barbianis ingressura Monasterium Sanctæ Mariæ Magdalænæ Me-

diolani, ob singularem dilectionem, immensumque amorem erga Comites Albericum Galeotum, & Joannem Jacobum Patruos, sub die 6. Maii 1619. illis, & cujuslibet ipsorum hæredibus, & successoribus, cum reciproca substitutione inter illos donavit, & cessit omnia, & quæcumque ipsius bona mobilia, & immobilia, ac semoventia, jura, credita, præsentia, & futura; omnes, & quascunque actiones, nihil penitus excluso; reservatis ex dictis bonis, & juribus donatis pro ejus victu, & ejusdem vita naturali durante, tantum scutis 400. auri, valoris librarum 6. Imperialium pro singulo, sibi per præfatos Donatarios, eorumque hæredes, & successores dandis, & solvendis, quolibet anno, de trimestri in trimestre, in pecunia numerata, ac in pace, & sine lite, adjecto pacto, quod casu quo, post obitum præfatorum Donatariorum, eorum hæredes, & successores cessaverint in solutione dictorum scutorum 400. annuorum, per mensem post quemlibet terminum, tunc, & eo casu quo ad ipsos tales, qui erunt in mora, præfens donatio habeatur pro non facta, & sit nullius valoris, & effectus, si ita placuerit, ipsi forori Claræ donanti, & non aliter, quia sic, &c. Post obitum Donatariorum, successit in bonis donatis pro medietate, Comes Franciscus Barbianus, qui habitâ notitia dicti pacti reversivi, assumpsit in se onus solvendi supradictam annuam præstationem. Verum, cum defecerit in solutionibus temporibus conventis, dicta foror Victoria una cum Priorissa, & Monialibus acceptarunt resolutionem donationis, cum reservatione, & sine præjudicio consequendi terminos decursos, & non solutos; talis acceptatio fuit intimata Comiti Francisco, qui comparuit, offerendo se paratum solvere omne, & totum id, de quo factis calculis, in effectu debitor appareret. Anno sequenti 1639. sub die prima Septembris, eadem foror una cum Monialibus inhærendo primæ acceptationi, declaravit, donationem resolutam, ex nova cessatione, è converso Comes Franciscus sub die 23. ejusdem mensis, pro plena, & completa solutione annuæ præstationis, & depositi libras 1085. citando fororem Claram ad recipiendum, quas Vicarius Mediolani mandavit esse recipiendas, per Moniales in causam declarandam, & sine præjudicio jurium ambarum Partium; facta deinde instantia, pro expeditione causæ, præfatus Vicarius sub die 17. Mensis Aprilis 1640. pronuntiavit, dictas acceptationes debere sortiri plenum, & integrum effectum, & proinde donationem respectu dicti Comitis Francisci haberi pro non facta, & esse nullius valoris, & effectus; quæ sententia fuit confirmata, per Judicem delegatum Apostolicum. Commissa causa appellationis in Rota in tertia instantia, fuit propositum dubium; an donatio sit resoluta: & Domini dixerunt esse resolutam, respectu Comitis Francisci ad effectum, de quo agitur, reservato, quod particulariter videretur ad ejus commodum.

Quia in donatione extat pactum resolutivum, in casu quo hæredes, & successores Donatariorum cessarent in solutione annuæ præstationis scutorum 400. auri sibi per Claram in donatione reservatæ, de quo pacto, cum Comes Franciscus successor, specificam habuerit notitiam, ut probat instrumentum transactionis, sub die 17. Septembris 1638. & nihilominus defecerit in solutione, ne dum, per mensum post quemlibet terminum, * sed per plures annos

Ad Materiam de Alimentis. Decis. XIX.

annos ante, & post litem utique est locus dicto pacto resolutivo, annullante donationem in casu non adimplementi, ac si nunquam facta fuisset, stante acceptatione caducitatis, Rota dec. 378. n. 3. p. 3. & decis. 203. n. 1. cum seq. p. 6. recent. si quidem indubitatum est in jure, quod ubi pacta in donatione apposita non implentur, * sive illa important conditionem, sive modum, donatio resolvitur, l. 1. C. de donat. que sub modo, & l. fin. C. de revocat. donat. Bald. conf. 250. sub n. 1. vers. imo secundum lib. 3. Cyriac. controv. 239. n. 5. cum aliis allegatis, per Rotam, dicta dec. 203. n. 1. p. 6. recent. Defectus autem probatur ex eo, quod non docet se solvisse.

Neque juvari potest ex deposito librarum 1085. ab eo facta, & illius acceptatione ab ipsis Monialibus nomine Claræ donantis de mandato Vicarii, ex qua acceptatione videtur remissum pactum reversivum.

Quia, quoad depositum, sufficit dicere, quod non erat integrum, nec sufficiens pro omnibus terminis decursis, juxta decis. Caputaq. 182. p. 1. sive fiat computatio à die assumpti oneris per Comitem Franciscum, solvendi dictam præstationem, pro medietate; sive à die acceptationis factæ à Monialibus, & intimatæ resolutionis, ut bene deducitur in facto, & fuit pro Monialibus protestatum; unde non operatur implementum contractus, nec quod fuerit recessum à resolutione acceptata. Quo verò ad receptionem depositi, * cum illa fuerit facta, pro terminis decursis, ante declarationem à Monasterio, & cum præservativa jurium Monasterii non potuit inducere aliquam remissionem; ut in fortioribus terminis emphyteusis tradunt Clar. in §. emphyteusis q. 10. nu. 1. vers. hoc tamen intellige. Mant. de tacit. & ambig. lib. 22. tit. 33. n. 2. Surd. decis. 317. n. 25.

Uterius cum agatur de præstatione reservata pro alimentis, in qua extat pactum resolutivum, non potest dici, quod fuerit purgata mora per supradictum depositum, stante præsertim mora geminata, * quæ omnem purgationem excludit ut post alios cumulat, firmat Cyriac. controv. 158. n. 37. & controv. 279. n. 17. & seq. Gratian. disceptat. 708. n. 21. Seraph. de privil. jur. privileg. 48. n. 3. & 25. ubi Addentes n. 31. quæ qualitas concurrat in hoc casu, in quo Comes Franciscus, ante acceptatam resolutionem, defecit per plures annos, postmodum verò defecit in quatuor terminis, & post quemlibet terminum elapsus est mensis, juxta formam pacti; nec pro terminis decursis post acceptatam resolutionem, Monasterium quidquam recepit, cum supradictum depositum lib. 1085. non sufficeret pro satisfactione terminorum antea decursorum. Rursus non probatur, quod quidquam solverit ab anno 1638. citra, quod cocepta fuit lis, etiam si semper possederit bona donata, * & fructus perceperit; ideo ex istis ultimis caducitatis potest privari, ut concludunt omnes in l. 2. C. de jure emphyt. Caputaq. decis. 209. p. 1. & decis. 316. n. 3. & 4. p. 3.

Verum cum donatio fuerit facta à Clara Alberico Galeorto, & Joan. Jacobo Patruis eorumque filiis, & descendentes eum reciproca substitutione inter illos, & consequenter dubitari possit, in casum in quem unus ex dictis institutis, vel substitutis cadat ab hæreditate ob non adimpletam conditionem appositam in donatione, an portio talis contravenientis debeat accrescere aliis cohæredibus substitutis, vel potius debeat reverti ad Donantem, seu Monasterium, habens causam ab ea, ponderatis verbis pacti, ibi, tunc, & eo casu

quod ipsos tales, qui erunt in mora, præfens donatio habeatur pro non facta; quæ verba non inferunt, quod alii substituti sint exclusi à portione illius, qui defecerit in solutione reservata in donatione; placuit Dominis pro nunc firmare donationem esse resolutam respectu Comitis Francisci, reservato, quod particulariter videatur ad ejus commodum fuerit resoluta, an Monasterii, seu potius substitutorum.

Et ita &c.

DECISIO XX.

R. P. D. GHISLERIO.

Mediolanen. Donationis.

Veneris 16. Martii 1646.

SUMMARIUM.

- 1 Donatio facta cum conditione, & clausula, & non aliter, dominium revertitur, ipso Jure, ad donantem, ob non implementum, & n. 3. Ex contraventione unius ex pluribus non resolvitur in totum, num. 7. Quæ ex causa inobservantiæ resolvitur, & ad donantem revertitur, n. 9.
- 2 Menoch. consil. 1153. reprobat.
- 3 Clausula, & non aliter, conditionem, non modum importat, & n. 6.
- 4 Contraventione unius quando noceat filiis?
- 5 Inobservantiæ donationis, in casu, si donans voluisset vocare quos vocavit in casum mortis, & delicti expressisset.
- 6 Jus accrescendi non habet locum in dispositionibus modificatis.

D ictum fuit die 10 Junii superioris Anni in decisione, coram me, facta; donationem factam à sorore Clara Victoria de Barbianis Comitibus Galeotis Patruis, & cujuslibet ipsorum hæredibus, & successoribus, respectu Com. Francisci, fuisse resolutam ob non adimpletum pactum in ea contentum, reservato, quod particulariter videretur, ad ejus commodum fuerit resoluta, an ad commodum Monasterii S. Mariæ Magdalænæ Mediolani in quo dicta Soror Clara donatrix emisit professionem: an verò ad commodum aliorum substitutorum, qui non contravenerunt. Prosequendo disputationem super reservatis, D. D. censuerunt, donationem fuisse resolutam ad favorem donatricis, durante tantum vita dicti Com. Francisci contravenientis.

Quia firmata resolutione donationis, juxta deducta in supradicta decisione, ob cessationem Com. Francisci in solutione annuæ præstationis, propter pactum, quod ubi cessaret in solutione dictæ annuæ præstationis à donatrice sibi reservatæ, tunc & eo casu, quoad ipsos tales, qui erunt in mora, donatio haberetur pro non facta, & esset nullius roboris, & effectus, & non aliter, quia sic, &c. * sequitur ipso jure ex defectu conditionis importatæ ex supradictis verbis, & præcipue ex dicta clausula, & non aliter, &c. dominium bonorum donatorum pro parte spectante ad ipsum Com. Franciscum fuisse reversum ad donatricem, ut plene aliis cumulat firmat Mant. de tacit. & ambig. lib. 4. tit. 30. n. 31. vers. neque obstat. Rot. decis. 612. sub n. 2. part. 3. decis. 378. n. 2. part. 4. & decis. 203. n. 3. & 4. part. 6. recent.

Non obstat Menoch. consil. 1153. n. 53. & per tot. qui tuetur contrarium, quia contra * Menoch. script.